

dennatus affici meretur. Et quoniam varia sunt delictorum genera, ideo etiam variae dantur pœnarum corporis afflictivarum species, unumquodque autem maleficium debitam & convenienti pœna merito vindicatur.

Imperator hic aliquot species enumerat. (a) *De Abscissione lingue*: quam pœnam apud quosdam ex moribus observari tradit Zierius ad h. art. p. 197. Qua cum pœna conjungitur publica delinquentis exhibitio in numellis ad palum famosum, quod tamen ubique non observatur. Deinde relegatio, in qua tamen gratia Magistratus relegantis invenit locum.

(b) *Mutilatione digitorum*, quæ pœna tum folet adhiberi, si quis de perjurio dolosè commisso fuerit convictus: ut si post præstitam urphedam relegatus ante elapsum & in juramento præfinitum tempus revertatur. Verum quando hæc pœna adhiberi possit in prædicto casu, illud *supra ad art. 108.* fusiùs est declaratum.

Huc quoque *Amputatio manus* pertinet, quæ pœna species nondum est sublata: Ea tamen manus reo abscindi solet, quæ est debilior, & quā reus magis poterit carere. Jul. Clar. l. 5. sent. q. 69. num. 4. f. 768. Quando verò Reus unam saltem adhuc manum habet, ea non ipsi amputanda est, licet Neapolitani contrarium statuerint, Thomas Grammaticus Decr. 94. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. f. 183. quin potius hæc pœna in aliam commutanda est, quam quoque ceu mitiorem sententiam probat Jul. Clar. d. quest. 69. num. 5. f. 787. Eleganter Didac. Covarruvias lib. 2. c. 9. num. 5. f. 150. & 151. Variar. resolut. Hartm. Pistor. Obs. 188. per tot. f. 218. & 219.

(c) *Abscissione aurium*, cum qua Imperator conjungit & exhibitionem in numellis publicis, & relegationem. Quod itidem intelligendum est, si aures adhuc habeat; secus, illa pœna in aliam commutanda venit. Quod autem stigmatis inustio & quidem in facie condemnati non nunquam adhiberi soleat, durum quibusdam videtur. per l. 17. C. de Pœn. ubi Imperator nefas esse censet, faciem hominis, quæ ad pulchritudinis cœlestis similitudinem est figurata, stigmatis inustione commaculare. Et docet Mynsing. Cen. 2. Obs. 46. p. 122. quod pœna istæc non sit adhibenda, etiamsi per statutum sit imposta. In dorso tamen aut brachio, illam pœnam adhiberi posse, Praxis quotidiana testatur, cum istis in locis macula istæc tegi possit. Sed & Nasi resolutionem quandoque adhibitam fuisse, an crimine adulterii, testatur Conrad. Rittershusius l. 2. c. 5. n. 88. p. 434. Par. 2. Fendal.

(d) *Fu-*